FR. PETRUS PAULUS PRESICCE

DEI , ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TRICARICEN

Suo Reverendissimo VICARIO GENERALI,
Archipresbytero et Rectori Seminarii,
Domino NICOLAO DE FELICE,
una cum SEMINARISTIS

Hasce Theologicas elucubrationes Scholastica methodo elaboratas

D. D. D.

M O N I T U M

Nihil felicius, jucundiusque nihil arbitrati sumus, solertissimi Juvenes, quam intueri post repristinationem hujus nostri venerabilis Seminarii, ermetice clausi per lustra quatuor et amplius: Iterum favente Numine, nos totis viribus, ut sacrosancti Concilii Tridentini sessione 13. *cap.* 18. *jussa exequeremur, magno theatro, et pompa florescere. Tenemur ergo laudem, et benedictionem Illi dare pro concessis beneficiis, et postquam animare ex postliminio ruirœ dignatus sit.*

Unde, ut nos aliquid impertiamur nostri laboris pro maxima hilaritate erga vos perspicaces Candidati: Operœ pretium duximus nonnullas elucubrationes prœlo mittere pro vestro majori, et elegantiori profectu, spectantes tum ad Tractatum de Sanctissima Trinitate, tum de Incarnatione divini Verbi, ut facilius arripere possitis Doctrinam Catholicam, et respondere cavillis hœreticorum, materialistarum, et heterodoxorum, qui nihil sapiunt de Deo, ejusque divina Providentia, sed tantum quœ sunt Mundi sciunt, ac per consequens peribunt cum Mundo.

*

Nunc totus lætitia perfusus gaudeo de vestro multiplici profectu in Moralibus, Theologicis, Mathematicis, Canonicis, Historicis, Poeticisque disciplinis, quibus magno æstu arrepti estis.

Qua de re operæ pretium ducimus, nos auxiliante Numine postquam multum laboris, et denariorum erogatu consumpsimus pro instaurando, et perficiendo hoc opus salutare; Vobis innotescere qualiter vix fama hujus nostri venerabilis Seminarii pervenit ad aures Excellentissimi et Reverendissimi Domini zelantissimi pro bonis Ecclesiæ vindicandis, tuendisque nostri doctissimi Apostolici Nuntii Domini Gabrielis Ferretti, ad instar Archangeli Gabrielis spiritu ad Nos pervolavit, vidensque nostrum laborem et paupertatem, zelo, charitate, et pietate, abunde ditavit, et dotem liberalissime suppeditavit. Tenemur ergo ab Omnipotente Domino Deo preces effundere pro Ejus prosperitate, ut quandocitius videre eumdem ornatum sacra Purpura, et Divi Petri Apostoli legitimum, Canonicum hæredem, et successorem, eo quia Ejus magna merita maximum merentur præmium.

Denique unum rogamus, obtestamurque, ut sedulo attendatis præfatis disciplinis, ut in Dei timore ambuletis toto vitæ vestræ cursu, ut fugiatis consortia incredulorum; et ut magnum habea-

tis respectum, et venerationem Vicario Domini nostri Jesu Christi summo Pontifici, nostro religiosissimo, et piissimo Regi FERDINANDO II., *et nostro immortali benefactori Excellentissimo, et Reverendissimo Nuntio Apostolico Domino Gabrieli Ferretti; et Omnipotentem Deum etiam pro me orate. Bene ambuletis, et Dominus sit vobiscum.*

VARIÆ ET DIVERSÆ INTER SE DOCTRINE,

SPECTANTES AD TRACTATUM

DE SANCTISSIMA TRINITATE ET DE INCARNATIONE DIVINI VERBI

SCHOLASTICA METHODO ELUCUBRATÆ

SUppositum potest multipliciter definiri : Primo Naturæ individua, et incommunicabilis substantia: Petrus exempli gratia, est suppositum ; primo quia est substantia, et hoc pacto accidens non potest esse suppositum.

Secundo : quia est substantia naturæ, et hoc pacto Omnipotentia in Deo non est suppositum, quia etsi dicat rationem substantiæ, non tamen est natura, sed attributum.

Tertio: quia est substantia naturæ individua, et hoc pacto animal, vel homo non est suppositum, quia licet sit natura, non tamen est natura individua, sed generica, vel specifica.

Quarto denique : quia est substantia naturæ incommunicabilis, et hoc pacto Deus ut præintellectus Relationibus, et Personis non est suppositum, quia licet Illius natura non sit generica, vel specifica, est tamen communicabilis Patri, Filio, et Spiritui Sancto.

Secundo : Suppositum est subsistens in natura, et hoc pacto Spiritus Sanctus ex vi suæ Processionis non est suppositum, quia formaliter est subsistens in Attributo.

Tertio : Suppositum est id, cujus est natura, vel id quod habet naturam : hoc pacto Christus est suppositum, quia est id cujus est humana natura, seu id quod habet naturam humanam de Beata Maria Vergine acceptam.

Quarto : Suppositum est id, *quod est sui ipsius*, vel sui juris, vel non potest esse alicujus, et quod denique in se existit ; et hoc pacto Natura divina non est suppositum, quia non est sui juris, sed est Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. E contra Pater est suppositum, quia est sui juris, cum non possit esse Filii, aut Spiritus Sancti : Etsi enim natura divina communicetur Patri, Filio, et Spiritui Sancto, attamen non potest alteri communicari, cum sit communis soli Sanctissimæ Trinitati.

Quinto : Suppositum est id, quod dicit independentiam ab altero ut substentante, vel incommunicabilitatem alteri ut supposito, seu quod dicit et perseitatem independentiæ, et perseitatem incommunicabilitatis : dicit perseitatem independentiæ, quia est substantia : dicit perseitatem in-

communicabilitatis, quia est sui juris, et nullimode potest esse alterius: ut dicens perseitatem independentiæ, excludit subjectum in quo sit, vel tamquam accidens in substantia cui inhæreat, vel tamquam forma substantialis in materia, quam informet: ut dicens perseitatem incommunicabilitatis, excludit suppositum cujus sit, et cui communicetur tamquam pars metaphysica compositi metaphysici, quod illam habere dicatur. Hoc pacto Petrus est suppositum, quia in nullo subjecto recipitur, sive ut accidens, sive ut forma substantialis, et quia non est pars illius compositi, seu totius metaphysici, quod constat ex natura et subsistentia, cum ipse potius sit compositum illud metaphysicum, quod ex natura et subsistentia simul unitis naturaliter consurgit.

Sexto denique: Suppositum est id, quod habet naturam terminatam et completam in linea substantiali: natura vero tunc dicitur terminata, et completa in linea substantiali, cum illi adnectitur terminus, sive modus ille substantialis, qui dicitur subsistentia: Hoc pacto *pro priori* ad Incarnationem divini Verbi, nullum erat suppositum humanæ naturæ Christi domini, quia nil erat, quod haberet illam completam, et terminatam in linea substantiali, cum in illo priori humanitas

Christi nullam habuerit subsistentiam, neque humanam, propriam et naturalem; Neque divinam, supernaturalem, et appropriatam: Peracta vero divina Incarnatione existere cæpit suppositum Illius Naturæ, id scilicet, quod habebat naturam terminatam in linea substantiali, quia tunc adnexa est humanæ Christi naturæ subsistentia divini Verbi, quæ illam terminavit, complevit, et perfecit in linea substantiali, tribuens illi incommunicabilitatem alteri ut supposito.

Suppositum differt a persona, quia suppositum est subsistens in natura sive intellectuali, sive non intellectuali: Persona vero est subsistens in natura intellectuali: Hinc omnis persona est suppositum, sed non omne suppositum est persona.

Suppositum differt a subsistentia, et personalitate, eo pacto quo totum metaphysicum differt a partibus componentibus: Nam suppositum est compositum metaphysicum ex natura, et subsistentia, vel etiam ex natura et personalitate, si suppositum sit etiam persona: subsistentia vero est pars compositiva suppositi, sicut etiam personalitas.

Suppositum dicit subsistentiam, et personalitatem in *recto*, et naturam in *obliquo*: definitur enim subsistens in natura, idest subsistens subsi-

stentia in natura, tamquam in habente: In qua definitione subsistentia exprimitur per *casum rectum*, natura vero per *casum obliquum*.

Suppositum non potest assumi ab altero supposito etiamsi sit divinum: natura verò potest assumi a supposito divino, et ratio discriminis est, quia suppositum est sui juris; natura vero non est sui juris, sed petit esse alicujus, et exigit terminari ab aliqua subsistentia, vel personalitate. Hinc subsistentia divini Verbi non potuit terminare naturam humanam, terminatam a propria subsistentia, quia hoc pacto assumpsisset suppositum humanum, quod proinde esset, et non esset suppositum: esset ut supponitur, non esset quia non esset sui juris.

Nec valet reponere, subsistentiam divini Verbi terminare naturam divinam terminatam a subsistentia Patris, quia terminat illam *præcise* sub conceptu naturæ, non ut affectam subsistentia Patris: In casu vero subsistentia Verbi divini terminaret naturam humanam, non *præcise* sub conceptu naturæ, sed ut affectam subsistentia propria, cujus ratio est, quia subsistentia Patris, et Filii relative opponuntur, secus vero subsistentia divina, et humana. Ex qua doctrina illud consequitur, naturam humanam terminatam a subsistentia

divini Verbi præcise sub conceptu naturæ, posse simul terminari à subsistentia Patris, et Spiritus Sancti propter oppositionem relativam; quæ intercedit inter tres subsistentias divinas. In quo casu licet essent tria supposita humanæ naturæ, non tamen essent tres homines, quia licet essent tres habentes humanitatem, humanitas tamen non esset, nisi una. Et aliunde hoc nomen *homo* proprie non significat illud, quod habet humanitatem, sed potius significat humanitatem pront in habente: itaut importet humanitatem *in recto*, et habentem humanitatem tantum *in obliquo*: eo fere pacto, quo in divinis licet sint tria supposita naturæ divinæ, non tamen sunt tres Dii, quia licet sint tres habentes divinitatem, tamen divinitas non est, nisi una; et aliunde hoc nomen Deus proprie non significat id quod habet divinitatem, sed potius significat divinitatem prout in habente.

Denique suppositum si sit creatum, est incommunicabile per aliquid absolutum: si vero sit divinum, est incommunicabile per aliquid relativum; quod patet, quia relatio est Personæ divinæ constitutivum. In divinis namque debemus distinguere, quod subsistit subsistentia absoluta, quod subsistit subsistentia relativa, et quod actu elicit, vel terminat *actiones notionales*. Quod subsistit

subsistentia absoluta, quæ dicit dumtaxat *Perseitatem* independentiæ, dicitur *Deus* ut *unus*, vel Deus præintellectus relationibus et personis, et est principium *quod* operationum essentialium. Quod subsistit subsistentia relativa, quæ dicit perseitatem incommunicabilitatis, est suppositum, sive persona, et est principium *quod* operationum notionalium. Quod denique actu elicit, vel terminat actiones notionales dicitur Pater, Filius, Spirator vel Spiratus, et actu refertur ad alium. Ex qua nimirum doctrina colligitur, quod si Persona divina subsistit subsistentia relativa, suppositum divinum est incommunicabile per *aliquid* relativum.

Hoc interest discrimen inter nomen substantivum, et adjectivum, quod nomen substantivum, in *recto* significat formam, in *obliquo* significat suppositum habens illam formam: e contra nomen adjectivum in *obliquo* significat formam, in *recto* significat suppositum habens illam formam. Hoc pacto, hoc nomen *Spirator* significat vim spirativam prout in habente: e contra hoc nomen *spirans* significat id, quod habet vim spirativam: Sic enim hoc nomen *Omnipotens*, si sumatur substantive, significat Omnipotentiam prout in habente; si vero sumatur adjective, significat id quod habet Omnipotentiam. Hinc numeralia primitiva

adjecta nominibus substantivis multiplicant formam, et suppositum habens illam formam; adjecta vero nominibus adjectivis multiplicant suppositum habens formam, et non ipsam formam. Hinc Pater, et Filius possunt dici duo Spirantes, idest duo supposita divinæ naturæ, quæ habent eamdem virtutem spirativam. Ast non possunt dici duo Spiratores, quia hoc pacto non unam, sed duplicem haberent virtutem spirandi; essent enim duæ virtutes spirativæ, tamquam in duobus suppositis illas habentibus. Sic enim tres divinæ Personæ possunt dici et tres omnipotentes, et unus Omnipotens: tres omnipotentes si hoc nomen *omnipotens* sumatur adjective, tunc enim idem est ac dicere, tres divinas Personas esse tria supposita naturæ divinæ, quæ habent eamdem Omnipotentiam: possunt etiam dici unus Omnipotens, si hoc nomen omnipotens sumatur substantive, tunc enim perinde est ac dicere tres divinas Personas esse unam Omnipotentiam tamquam in tribus suppositis illam habentibus. In qua quidem acceptione non possunt dici tres omnipotentes, quia sensus esset, esse tres omnipotentias, tamquam in tribus suppositis illas habentibus, quod dici nequit.

Sed ut clarius dilucidetur hæc Catholica doctrina, sciendum, quod actio notionalis multipli-

citer distinguitur ab actione essentiali : Primo, quia actio essentialis est communis cuilibet personæ, actio vero notionalis est propria, et peculiaris alicujus personæ : Secundo, quia actio notionalis concipitur ut affecta aliqua relatione, et non competit Deo, nisi ut affecto aliqua relatione divina. Actio vero essentialis non intelligitur ut affecta aliqua relatione, et competit Deo ut præintellecto relationibus et personis : Tertio, quia actio notionalis licet sit *aliquid* absolutum in *recto*, est tamen *aliquid* relativum in *obliquo* : Actio vero essentialis est *aliquid mere* absolutum : Quarto, quia actio notionalis licet sit *aliquid* absolutum in *recto*, est tamen aliquid relativum in obliquo : Actio vero essentialis est aliquid *mere* secundum id, quod dicit in recto dicat perfectionem : secundum id tamen quod dicit in obliquo, præscindit a perfectione, vel imperfectione : e contra actio essentialis dicit simpliciter perfectionem : Quinto denique quia actio notionalis idem est ac origo activa, et idcirco est productiva termini ad *intra* ; actio vero essentialis nec habet rationem originis, nec est productiva termini ad *intra*. Ceterum actio notionalis est ipsa actio essentialis, et nihil aliud habet super illam, nisi quod intelligatur ut modificata aliqua relatione, verbi gra-

tia, eadem actio intellectiva præcise secundum se inspecta, est actio essentialis, ut modificata relatione Paternitatis, seu prout est in Patre, est actio notionalis.

Deinde: illud dicit perfectionem, quod est in subjecto, ut illud exornet, perficiat, et compleat. Illud vero præscindit a perfectione vel imperfectione, quod est in subjecto, non ut illud perficiat, sed ut illud referat ad aliquem terminum; ejusmodi autem est Relatio. Hinc quælibet Persona Sanctissimæ Trinitatis est Ens illud supremum, quo melius et perfectius excogitari non potest, quia licet uni Personæ desit relatio, et origo alterius Personæ, tamen nec relatio, nec origo secundum id quod dicit in obliquo, dicit perfectionem: et licet origo secundum id quod dicit in *recto*, dicat perfectionem, sub hoc tamen respectu reperitur in unaquaque persona.

Verbum divinum recipit Naturam ex vi suæ Processionis, quia recipit illam quia procedit: e contra Spiritus Santus recipit naturam per accidens, quia non recipit illam, quia procedit, sed quia Attributum quod recipit ex vi suæ Processionis, est idem cum natura: unde non potest recipere attributum, quin simul recipiat naturam. Sicut panis in Eucharistia convertitur in Corpus Christi

ex vi Consecrationis. Ideo enim fit hujusmodi conversio, quia adhibentur verba Consecrationis: e contra vinum convertitur in Corpus Christi tantum per accidens, et *concomitanter*. Fit enim hujusmodi conversio, non quia adhibentur verba Consecrationis, sed quia Sanguis non potest separari a corpore. Verbum divinum procedit ut Filius, non quia procedit ut imago, sed quia procedit ut simile in natura. Non enim ideo est simile quia imago, sed ideo est imago quia simile: ideo enim repræsentat Patrem, a quo procedit, quia est Illi simile in natura: nihil Prototypum referre potest, quin prius ut Illi simile concipiatur.

Si exacte, et subtilius loqui velimus, aliud est subsistere, aliud incommunicabile esse: Subsistere est in se existere et independenter ab altero ut substentante. Esse incommunicabile, est non posse alteri uniri ad compositum aliquod intrinsecus constituendum. Porro tripliciter unum potest dependere ab altero ut substentante, ut a subjecto *inhæsionis*, ut a subjecto *informationis*, et ut a termino et *complemento* substantiali. Accidens pendet a substantia ut a subjecto inhæsionis, forma substantialis corporea pendet a materia, ut a subjecto informationis; natura pendet a subsistentia seu personalitate ut a termino, et complemento

substantiali. Non enim potest existere, nisi sit affecta aliqua subsistentia. Jam vero illud absolute, et simpliciter intelligitur subsistere, quod nullo modo pendet ab altero neque ut a subjecto inhæsionis, neque ut a subjecto informationis, neque ut a termino et complemento substantiali. Hinc natura humana Christi Domini pro *priori* ad Incarnationem non intelligitur subsistere, quia licet in illo *priori* dicat independentiam a subjecto inhæsionis, et a subjecto informationis, non tamen dicit independentiam a termino, et complemento substantiali.

Natura affecta aliqua subsistentia potest dupliciter considerari, præcise sub conceptu naturæ, et ut affecta aliqua subsistentia. Hinc de eadem humanitate affecta subsistentia Verbi divini utrumque verificatur, et quod existat in alio et sit communicabilis, et quod existat in se, et sit incommunicabilis. Existit in alio et est communicabilis, si consideretur præcise sub conceptu naturæ: existit in se et est incommunicabilis, si consideretur ut affecta subsistentia divini Verbi.

Duo sunt munera subsistentiæ creatæ, et reddere naturam subsistentem, et reddere illam incommunicabilem. In divinis vero distinguimus duplicem subsistentiam, unam absolutam et com-

munem, alteram relativam et peculiarem: Prima reddit naturam divinam subsistentem, altera incommunicabilem.

Profecto non solum natura, sed etiam suppositum, sive persona intelligitur subsistere; et esse incommunicabile. Relationes vero in divinis etsi reddunt naturam incommunicabilem, et non subsistentem, reddunt tamen Personas non tantum incommunicabiles, sed etiam subsistentes. Reddunt incommunicabiles ratione sui, et quia sunt aliquid relativum; reddunt subsistentes ratione alterius, et quia sunt idem cum natura divina, quæ gaudet subsistentia absoluta. Hinc in Deo præter unicam subsistentiam absolutam, admittimus etiam tres subsistentias relativas, et personales: subsistentia absoluta reddit subsistentem naturam, tres subsistentiæ relativæ reddunt subsistentes Personas. Relationes igitur in divinis, quatenus sunt idem cum subsistentia absoluta, habent rationem subsistentiæ, quia etsi non reddunt subsistentem naturam, reddunt tamen subsistentes Personas, quod verum non esset, si non tribuerent Personis nisi tantum incommunicabilitatem.

Subsistentia relativa divini Verbi reddit naturam humanam subsistentem, et incommunicabilem; incommunicabilem ratione sui, subsistentem

quatenus est idem cum natura divina, quæ subsistit subsistentia absoluta. E contra dici non potest subsistentiam relativam reddere naturam divinam subsistentem, et incommunicabilem modo jam explicato: perinde est enim dicere subsistentiam relativam, quatenus est idem cum natura divina reddere illam subsistentem, ac dicere naturam divinam sibi ipsi tribuere ut subsistat.

Pro priori ad Incarnationem intelligas tantum humanitatem in abstracto, non hominem in concreto: Pro priori ad relationes præter divinitatem in abstracto, intelligas etiam Deum in concreto. Ratio discriminis est, quia natura humana Christi Domini abstracta a subsistentia Verbi divini non intelligitur subsistere: e contra natura divina abstracta a subsistentiis relativis intelligitur subsistere subsistentia absoluta.

Aliud est existentia, aliud subsistentia: existentia est positio rei *extra* nihilum et causas, et est ultimus actus entis, idest quod rei ultimo advenire concipitur. Subsistentia vero est modus quidam existendi, quo res non in alio, sed in se concipitur existere, independenter ab altero ut substentante, tamquam a termino, et complemento substantiali.

Aliud est objectum referre, manifestare, ac repræsentare, et objectum imitari, et suam ex illo originem ducere. Ut unus referat alium, satis est ut illi assimiletur; ut vero illum imitetur, requiritur etiam ut ejus ad instar sit efformatus, et ex illo desumptus ut ideatum a sua idea, exemplatum a suo exemplari, et typum a suo Archetypo. Pater repræsentat Filium, quia cum Filio in natura assimilatur et est æqualis: e contra Filius imitatur Patrem, quia Patris ad instar est efformatus. Ut unus sit imago alterius, non sufficit ut illum manifestet, sed etiam requiritur, ut illum imitetur: Hoc pacto Filius in divinis est Verbum creaturarum, non tamen imago, quia etsi repræsentet creaturas, non tamen illas imitatur, cum non sit ideatum, exemplatum, et typus creaturarum, sed potius sit illarum exemplar, idea, et Prototypus. E contra non solum est Verbum, sed etiam imago Patris, et figura substantiæ Ejus, ut ait Apostolus Paulus, quia non solum repræsentat Patrem, cum quo habet naturæ similitudinem, sed etiam Patrem imitatur, cujus ad instar ab æterno fuit productus et generatus.

Cognitio Dei triplex est, abstractiva, intuitiva, et compræhensiva: Abstractiva est illa, qua quis cognoscit Deum in aliquo medio, idest in

Creaturis : intuitiva qua quis cognoscit Deum in seipso : Compræhensiva qua quis cognoscit Deum omni modo, quo est cognoscibilis. Tunc vero quis cognoscit Deum omni modo quo est cognoscibilis, quando cognoscit quidquid in Illo, et ex Illo potest cognosci, seu quidquid Illo aliquo modo continetur. Hinc profecto tunc quis compræhendit divinam Essentiam, quando cognoscit omnes perfectiones creaturarum, quæ sive *formaliter*, sive *eminenter* in Illo continentur. Sic etiam tunc quis compræhendit divinam Omnipotentiam, quando cognoscit omnes effectus, qui continentur in illa tamquam in causa. Cognitio Dei est compræhensiva, quæ non solum attingit veritatem increatam, sed etiam omnes veritates creatas, quæ sive *formaliter*, sive *eminenter* in illa continentur. Amor Dei est etiam compræhensivus, qui non solum attingit bonitatem increatam, sed etiam omnes bonitates creatas, quæ sive *formaliter*, sive *eminenter* in illa continentur.

Perfectiones sunt in duplici differentia, aliæ dicuntur simpliciter simplices, aliæ vero secundum *quid* simplices. Prima est illa, quæ in suo conceptu formali dicit perfectionem, licet de conceptu non formali dicat imperfectionem. Hoc pacto generatio activa est perfectio simpliciter sim-

plex, quia licet in creatis de conceptu non formali dicat divisionem naturæ, in suo tamen conceptu formali nihil aliud est, nisi communicatio naturæ. Perfectio secundum *quid* simplex est illa, quæ in suo conceptu formali dicit imperfectionem, licet de conceptu non formali dicat perfectionem: Exempli gratia, discursus est perfectio secundum *quid* simplex, qui licet de conceptu non formali sit cognitio, in suo tamen conceptu formali est transitus de re nota ad ignotam. Deus perfectiones simpliciter simplices continet formaliter, idest secundum illam perfectionem quam dicunt de conceptu formali: Perfectiones vero secundum *quid* simplices continet *eminenter*, idest secundum illam perfectionem quam dicunt de conceptu non formali. Utrasque tamen continet seclusis imperfectionibus, quas dicunt sive de conceptu formali, sive de conceptu non formali.

Dependere dicitur ac subordinari, quod ita non potest sine alio subsistere, ut ejus sit effectus: Connecti vero, quod ita non potest sine alio subsistere, ut ejus effectus non sit. Nec Verbum divinum, nec Omnipotentia Dei sunt effectus possibilium, quia potius Verbum est Causa exemplaris omnium creaturarum, Omnipotentia vero est causa effectrix; et idcirco licet non possit subsi-

stere sine possibilibus, non tamen ab illis dependet.

Tandem: Generatio definitur: Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ.

Hæc omnia si memoriter retinueritis toto tempore vitæ vestræ, Adolescentes optimi, vobis promitto posse respondere omnibus cavillis adversariorum opponentium se Veritati Religionis Revelatæ. Valete, iterumque valete.